



20
M. 59.3.



16
P R O G R A M M A
CONTROVERSAS CIRCA ANGELVM MORTIS
PRIMOGENITOS IN AEGYPTO OCCIDENTE
SENTENTIAS

S I S T E N S

IN QVO

R E C T O R
PHILIPP. NICOL. WOLF

PROF. LL. OO. ORDINARIVS

ORATIONEM INAVGVRALEM,

QVAM

EXCELLENTISSIMVS, AMPLISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
DOMINVS

D. GEORG. LVDOVIC. ALEFELD

DE

PRAECIPVIS CONTROVERSIIS INTER ANATOMICOS

SAECVLI HVIVS XVIII. AGITATIS

PROFESSIONEM MEDICINAE EXTRAORDINARIAM

IPSI CLEMENTISSIME OBLATAM INGRESSVVS HABEBIT,

PROXIMA DIE IOVIS PRIDIE NONARVM SEPTEMBRIS

GENEROSIS, NOBILISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS
DOMINIS COMMILITONIBVS

INDICIT

ET

AD EAM DILIGENTER AVDIENDAM

HVMANISSIME INVITAT

CALENDIS SEPTEMBR. PVBLICATVM

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.



GISSAE, EX OFFICINA BRAVNIANA.

P R O G R A M M A
CONTROVERSAS CIRCA ANGELUM MORITZ
TIMOGNIENSIS IN ANGRO TO OCCIDENTE
SENTENTIAS
SISTENS

R E C T O R
PHILIPP. NICOL. WOLF
PROV. ET GO. ORDINARIUS
ORATORUM, IMPROBARIUM

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO HUIUS DOCTRINAE
DOMINO
D. GEORG. LUDOVIC. ALLEFELD
DE
PRAECEPTIS CONTROVERSIS INTER ANATOMICOS
SPECIALI HUIUS KVIVL AGITATE
PROFESSORUM MEDICINAE EXTRAORDINARIAM
HUIUS UNIVERSITATIS GRATIAM INGRESSIVIS HABERE
PROXIMA DIE 10VIS TRIDIE NOVARI SEPTIMBRIS
GEMEROSIS AOBRISSIMIS ATOPE DOCTISSIMIS
DOMINI COMMITTONIBVS

AB EAM DILIGENTER AVDIENDAM
HUMANISSIMO HONORI
CAUSIS SEPTIMAE PAVLITUM
SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI
GIESAE EX OFFICINA BRAVLIANA





Quemadmodum variae controuersiae in scientia physica deprehenduntur, ita vt alius studiosus rerum physicarum indagator has, alius illas adferre soleat rationes; ita etiam in interpretatione sacri codicis variae exstant controuersiae, ita vt de multis scripturae sacrae, quae alias in rebus ad fidem & vitam maxime scitu necessariis lux splendidissima est, locis maxime controuersis dici possit: *Quot capita, tot sensus.* Nos breuitatis studiosi hac occasione nobis suppeditata paucissima profereamus DE ANGELO MORTIS, (*Würg = Engel,*) qui primogenitos Aegyptiorum occidens omnibus

A

Israe-



Israelitis clementissime & indulgentissime pepercit,
 eosque viuos conseruauit. Id quod *Exod. XII. 13.*
 & 23. legimus.

Comma 13. והיה הדם לכם לאות על הפתים אשר אתם שם
 וראיתי את הדם ופסחתי עליכם ולא יהיה בכם נגף למשחית
 בהכותו בארץ מצרים.
Comma 23. ועבר יהוה לנגוף את מצרים וראה את הדם על המשקוף
 ועל שתי המזוזות ופסח יהוה על הפתח ולא יתן המשחית לבוא
 אל בתיכם לנגוף.

Ex his locis clarum est, transire debere
 domos Israelitarum, quarum postes sanguine agni
 paschalis adpersi essent. Transitus Domini immine-
 bat, *Comm. II.* פסח הוא ליהוה *est enim pascha Domino*
 scil. sacrum. Quae verba ZWINGLIUS, uti omnibus
 notum est, putauit exponi debere; *agnus est transitus*
Domini i. e. *agnus significat* transitum Domini. Hoc
 que eum in finem attulit, ut probare posset, **EST**
 in sacrae coenae verbis, *hoc est corpus meum, hoc est*
sanguis meus, idem esse ac *significat*. Scribit a no-
 cturno monitore (vtrum ater an albus fuerit, nescie-
 bat) hunc locum sibi suggestum esse, in quo copula
EST idem sit ac *significat*. Breuissimis haec excutie-
 mus. Respondemus enim, ex hoc loco reformatae
 religioni addictos nulla ratione suam opinionem non
 fundatam probare posse. Nam

(1.) Propositio haec: *agnus est pascha Domini* in
 vni-

uniuerso sacro codice non legitur, nec in N. T. haec propositio vsquam occurrit: *Hic panis est corpus meum; hoc vinum est sanguis meus.*

2.) פסח varias habet significaciones. (α) significat *transitum*, de quo nemo dubitat. (β) *festum diem siue tempus paschatos*, das Oster-Fest. Numer. XXXIII. 3. ישראל בני יצואו כני מחרת הפסח i. e. postero die paschatos egressi sunt filii Israel manu alta. LVTH. Sie zogen aus des andern Tage der Ostern durch eine hohe Hand. Matth. XXVI. 2. οἶδατε, ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάχα γίνεται &c. Luc. XXII. 1. ἤγγιξε δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ἡ λεγομένη πάχα. Io. II. 13. Καὶ ἐγγὺς ἦν τὸ πάχα τῶν Ἰουδαίων. *comm* 23. οἳ δὲ ἦν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ πάχα ἐν τῇ ἑορτῇ &c. (γ) *Ipsum agnum paschalem* Matth. XXVI. *comm*. 17. πῦ θέλεις, ἐτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάχα. Marc. XIII. 12. Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάχα ἔθου; λήξουσιν αὐτῷ ἐν μαθηταῖς αὐτῷ πῦ θέλεις ἀπειθόντες ἐτοιμάσωμεν, ἵνα φαγῆτε τὸ πάχα; ita *comm*. 14. 16. Luc. XXII. 8. II. 13. (δ) *Sacrificium praeteriresicum*, transitum concilians & adferens, vti SEBAST. SCHMIDIUS in *tr. de agno paschali* explicat. Quemcunque sensum ex his admiserimus, ZWINGLIUS eiusque sectatores finem suum non adsequentur, hoc est, numquam probabunt, quod sibi sumserunt probandum. Nam

α.) Sume significatum *transitus*. Tunc sensus est:



est: vos Israelitae, quos valida fortique manu ex Aegypto, domo seruitutis durissimae crudelissimaeque constitui educere, festinanter debetis edere agnum, & ea obseruare diligentissime, quae per MOSEN seruum meum fidelem iussi, quia est ¹⁰³ *transitus Domini*, i. e. quia transitus Domini imminet in hac nocte, Dominus reuera transibit domos vestras, vt eas nulla tangat perditio, sed vt potius omnia salua, tecta & incolumia in illis maneant. Itaque hoc modo notio *significat* longissime exulat.

β.) Admittamus significatum *festi paschalis*, etiam expositio ZWINGLIJ eiusque sectatorum euanesceat. Tunc enim hic sensus emerget: *totus hic cultus, cum omnibus caerimoniis est pascha siue festum paschale Domino sacrum*, qui cultus festum tempus paschale non significat, sed est ipsum paschatos festum, Ita hoc loco sumi videtur, quod patet ex *commate 43*, huius capituli. Nam verba haec: *Est transitus Domino*, non ad agnum referuntur, sed ad totum cultum & ritum istum ab Israelitis tum temporis abiturum ex Aegypto parantibus obseruandum. Non enim in hoc *commate* est vna propositio, sed duae distinctae propositiones, & ambae quidem propriae & regulares. Vna est haec; *Agnus festinanter est comedendus*: altera; *hodie est pascha Domino* i. e. hodie est tempus festum paschatos Domino sacrum. A ZWINGLIO itaque & illius



Illius sectatoribus committitur fallacia compositionis. Coniunguntur, quae sunt disiuncta, & ex duabus propositionibus vna exstruitur. Ipse MOSES *conim.* 26. inter agnum & pascha facit discrimen.

2.) Sin אֶזְרָא *ipsum agnum paschalem* denotat, iterum EST non idem est ac *significat*. Nam hic sensus tunc locum inuenit: Hoc, (quod comedimus a Domino iussi) *est agnus paschalis*. Quis credere potest, Israëlitas, dum abitum ex Aegypto moliebantur, signum agni paschalis, non ipsum agnum, comedisse?

3.) Nec notio *significat* locum habet, si SEBASTIANVM SCHMIDIVM *in tr. de agno paschali* sequamur, qui אֶזְרָא reddit, *sacrificium praeteriresicum* siue praeteritionem & transitum concilians & adferens. Vti אֶזְרָא non significat *adscensionem*, quamuis ab אֶזְרָא *adscendit*, deriuetur, sed *sacrificium adscenderesicum*, siue adscensionem pariens: אֶזְרָא non *pacem*; sed *sacrificium pacificum*, siue pacem concilians.

3.) Quamuis אֶזְרָא *est* hic idem sit ac *significat*; tamen male concluderemus: Ergo etiam in sacra coena. Sacramentum agni paschalis erat *typicum*, rem praefiguratam non substantialiter exhibens: in sacra coena autem praefens substantia corporis & sanguinis Christi exhibetur: ibi fuit umbra, hic autem res ipsa Coloss. II, 17. Ebr. X, 1.

4.) Sit



4.) Sit propositio: *agnus est pascha* i. e. significat; tamen non fuisset *signum nudum*, sed *exhibitivum*. Sanguis enim agni paschalis, quo superliminare & duo postes tingebantur & adspergebantur, reuera praestabat Israelitis transitum Domini, efficiebat, ut Dominus transiret domos. Ita *in cum & sub pane & vino* in sacra coena communicantibus reuera corpus & sanguis Christi offertur & exhibetur.

Comestio agni paschalis, cuius sanguine postes Israelitarum adspargendi erant, ab aedibus ipsorum arcebat מַשַּׁח (*comm. 13. & 23;*) *perditionem* vel *perdentem*, ne perditio vel perdens domos eorum ingressus eorum primogenitos percuteret, uti omnes primogeniti Aegyptiorum hac nocte percutiendi erant. Quis fuerit perdens, siue quis percusserit & occiderit primogenitos, non omnes interpretes consentiunt, sed in varias dispescuntur sententias.

I.) Sunt, qui dicunt, *Cacodæmonem* malum angelum, qui angelus mortis, der *Würg-Engel*, vocari solet, vna nocte primogenitos percussisse. Idque probare solent.

a) Quia מַשַּׁח perditior *comm. 13. & 23.* diceretur; quod de bonis angelis, nedum de DEO dici posset, ab angelis bonis & ab ipso DEO non nisi bonum provenire putant. Sed respondemus negando
maio.

maiores propositionem. Nam non omnis, qui perdit & occidit, est cacodaemon. Siquidem & ipse DEVS occidit *Deut. XXXII. 39.* Ego occido, & viuifico, ego vulnus infligo, & ego medeor *1. Sam. II. 6.* Dominus neci dat, & vitae restituit. *Genes. VI. 17. sq.* quis per diluuium totum genus humanum, exceptis octo, extinxit? nonne IEHOVA hoc fecit? *Genes. XVIII. 28. sq. Genes. XIX. 24. sq.* quis igne caelitus demisso Sodoma & vicinas vrbes vna cum incolis perdidit? IEHOVA. *Amos. III. 6.* an est malum (poenae) in vrbe, quod Dominus non faciat. conf. *Mich. I. 12. Esai. XXXI. 2. XXXXV. 7.* Et de angelis bonis legimus in sacro codice, quod perdidit iussu diuino, *1. Sam. XXIV. 16. sq. coll. 1. Par. XXI. 15. 16. 18. 20. 27.* Quod hic משרא bonus angelus fuerit, inde euidentissimum est, quia iussit, vt propheta GAD DAVI-DEM instrueret, quomodo pestis fitti queat, *1. Par. XXI. 18.* quod DEVS per malum Spiritum fieri non vult *Marc. I. 24. 25.* & quia angelus Dei, & angelus Iehovae dicitur, ita autem angelus malus in toto codice sacro dici non solet. *Esai. XXXVII. 35.* Angelus Domini egressus est, & percussit in castris Assyriorum centena octoginta quinque millia; si quis vellet perhibere, hunc angelum fuisse cacodaemonem; illum rationes solidas nullas ex serie vocum capitis huius adferre posse, persuasissimus sum.

β) Probari posse, malos angelos fuisse corruptores

B

res



res primogenitorum in Aegypto, putant ex *Psalms*. LXXVIII. 49. Quem locum b. LVTHERVS vertit: Da er die bösen Engel unter sie sandte in seinem grimmigen Zorn, und liesse sie toben und wüthen, und Leid thun. LXX. ἐξαπέστειλεν εἰς αὐτοὺς ἀγγελὸν αὐτῆ θυμῷ, θυμῶν καὶ ἀγγελὸν καὶ θλίψιν, ἀποστολὴν δὲ ἀγγέλων πονηρῶν (SYMMACHVS) ἀγγέλων κακῶντων. VULGATA VERSIO: *misit in eos iram indignationis suae: indignationem & iram & tribulationem, inuisiones (al. inuissionem) per ANGELOS MALOS.* VATABLVS: *immisit in eos aestum nasi sui, impetum, indignationem & angustiam, cacodaemonum incurfiones.* Sed facilis est responsio. Hae versiones a veritate Ebraea in interpretandis sacris litteris vnice consideranda recedunt. In textu authentico non est מלאכי רעים sed מלאכי רעים, quae voces ratione Syntaxeos multum differunt, quod Grammaticae tirones latere non potest. מלאכי רעים sunt *angeli siue nuncii mali*, böse Engel, böse Boten, quibus malitia tanquam qualitas peruersa inhaeret. Vti *Proverb.* XIII. 17. מלאך רשע יפול ברע *Nuncius impius*, cui inhaeret impietas, *cadet in malum*, siue *cadet per vel propter malitiam* scil. in infortunium & perniciiei voraginem. b. LVVHERVS *Ein gottloser Bote bringet Unglück*, quasi Ebraea veritas יפול *cadere faciet*, haberet. Potius verendum: *Ein gottloser Bote wird in Unglück fallen; siue wird fallen (sc. in Unglück) durch oder wegen der Bosheit.* Vulgatus interpres: *legatus impii,*

impii, sed male, non enim legitur in statu constructo, מלאך רשע, sed in absoluto רשע מלאך. *Prou. XVII. 11.* מלאך אכזרי ישלח בן *nuncius crudelis* (i. e. qui non nisi crudelia molitur & excogitat, suppliciumque debitum decisum citra omnem commiserationem exsequitur) *mittetur contra eum*; sed in statu constructo מלאכי רעים *nuncii malorum* siue *rerum malarum*, qui aliis mala, calamitates, plagas & miseras denunciant. Pii homines, boni angeli, imo ipse DEVS *nuncius malorum* esse potest, sed non *nuncius malus*. Ita CHRISTVS vrbi Hierosolymae ruinam & exitium denuncians *Luc. XIX. 41. seqq.* fuit *nuncius malorum* siue *rerum malarum*. Vates diuini ESAIAS, IEREMIAS, EZECHIEL, DANIEL, HOSEA &c. Iudaeis aliisque gentibus mala praedicentes fuerunt *nuncii malorum*, ipsi non erant mali & impii, sed pietatis haud infucatae potius amantissimi. *1. Reg. XXI 5.* מלאך המות *nuncius mortis*, qui mortem denunciat. *Proverb. XVI. 14.* מלאך שלום *nuncius pacis*, qui aliis pacem denunciat & praedicat. Itaque *nuncii malorum*, de quibus *Psaln. LXXVIII. 49.* sermo est, non fuerunt cacodaemones, per eos enim Aegyptiis DEVS plagas non denunciauit, sed potius MOSES & AARON. Hi enim ad PHARAONEM, Regem Aegyptiorum, missi sunt, vt regi & Aegyptiis dicerent, fore certissime, vt multis variisque plagis affligerentur durissimis, nisi Israelitas, populum DEI, dimitterent. Hi autem *nuncii* non fuerunt



fuerunt mali in se, sed in Aegyptios, siue plagarum & damnorum auctores, & nuncii, *Exod.* III. IV. V. VI. VII. VIII. & sqq. Quamobrem clarissimum est, ex hoc loco probari non posse, quod cacodaemones primogenitos Aegyptiorum occiderint. Conf. 10. TARNOV. *Exercit. bibl. pag. 735. sq.*

II. GVILIELMVS ESTIVS in *Annotat. in loca S. scripturae difficiliora* statuit, angelum bonum perdidisse Aegyptios, quod hoc modo probat. Qui submersit Aegyptios, bonus erat, vt constat *Exod.* XIV. Ergo & qui percussit Aegyptios; nam par est ratio. Si hoc intellexerit de *Angelo bono increato* facile concedimus, quia hoc ex *Cap. XII. Exod.*, collatis aliis locis S. Scripturae, luculentissime probari potest, vt nobis quidem videtur. Sin de *angelo bono creato* intelligere voluerit, nullam video rationem, cur hoc statuere velimus. Salm nec in capite nostro, nec in aliis S. Scripturae locis vllum deprehenditur argumentum, quo id stabiliri, vel probabile & verisimile reddi possit. Vi-res angeli boni creati hoc factum superare videtur. Num Angelus bonus creatus, qui non est omniscius, omnes tam hominum quam pecudum primogenitos nouisse credendus est? Vid. MATTHAEI POLI *Synops. Criticor. ad Exod.* XII. 23.

III. Nobis certissimum videtur, ipsum DEVM percussisse Aegyptiorum primogenitos. Quod argumentis ex ipso textu Ebraeo erutis stabiliri potest, & quidem

dem ita, vt plane nullum superfit dubium. 1.) *Exod.* XI. 4. 5. Ita dixit IEHOVA, circa mediam noctem EGO exibo in medio Aegypti, & morietur omne primogenitum in terra Aegypti &c. 2.) *Cap. XII.* 12. EGO (IEHOVA) transibo per terram Aegypti in nocte hac, & PERCVTIAM omne primogenitum. 3.) *comm.* 13. si videro sanguinem eius, tunc transibo vos, & non erit plaga in vobis ad perditionem, cum EGO percussero. 4.) *comm.* 23. Transibit IEHOVA ad percutiendum Aegyptios. 5.) *comm.* 27. IEHOVA transiuit domos nostras in Aegypto, cum PERCVTERET ILLE Aegyptum, sed domos nostras eriperet. 6.) *comm.* 29. IEHOVA PERCVSSIT omne primogenitum in terra Aegypti. 7.) *Psaln.* CXXXVII. 1. 10. laudate IEHOVAM, QVI percussit Aegyptum in primogenitis eorum &c. Equidem contrarium statui debere videtur, quod nimirum ipse IEHOVA non immediate percussit, sed potius mediate per alium quendam siue angelum bonum siue malum, quia IEHOVA a משה *comm.* 23. distinguitur. לא יחז המשחה לבוא אל כהנים לנגוף i.e. Non permittet (scil. IEHOVA) vastatorem ingredi domos vestras ad percutiendum. Ergo alius est Vastator, alius IEHOVA ex his verbis. Respondetur, ita videri, sed non ita esse. Nam vnicum, quod dubium videtur, argumentum certissima & eulentissima argumenta non potest tollere, sed nos duntaxat admonet, vt videamus, an rite dubium illud remoueri queat



queat. Nimirum מַשְׁחִיתָא significat non tantum *vastatorem & perdentem*, sed etiam *perditionem, exitium, internecionem*. In hoc nostro loco vltimus significatus locum habet. Vnde verba reddimus: IEHOVA non permittet PERDITIONI, vt veniat in domos vestras ad percutiendum. IEHOVA perditionem, exitium, internecionem arcebit ab aedibus vestris. Ita *comm. 13.* voces מַשְׁחִיתָא לַמָּוֶת non vertendae sunt *plaga disperdens*, vt vulgatus interpres reddidit, nec *plaga perdentis*, vt multi vertunt. Nam accentus has versiones non admittunt. Dum paschta in מַוֶּת fieret accentus coniunctiuus, qui tamen distinctiuus est, contra Axioma II. accentuationis Weimarianae. Potius vertendae sunt: *plaga ad perditionem, ad exitium*, vt pereatis & caedamini. Igitur euidentis est, ipsum DEVM Aegyptios percussisse. Et quidem videtur IPSE FILIVS DEI, secunda persona in diuinitate, cui Deus Pater omne iudicium dedit, Deus enim Pater neminem iudicat *Io. V. 22. coll. comm. 27. & Act. XVII. 31. Rom. XIV. 10. 2. Cor. V. 10.* Nimirum idem ille, qui Mosi in rubo ardenti adparuerat, & miserat ad liberandos & educendos Israelitas *Exod. III. 2. sq. Gen. XLIX. 16.* Ex loco *Exod. III.* nimirum argumentamur, quod CHRISTVS Filius Dei ille angelus fuerit, hac ratione:

Quicumque ex medio rubi MOSEN vocauit, ille est verus

verus & essentialis DEVS per Exod. III. comm. 4. 7.
vbi IEHOVA dicitur. Comm. 6. DEVS comm.
13. 15. DEVS patrum vestrorum. comm. 16.
IEHOVA DEVS patrum adparuit MOSI. comm.
20. miracula fecit, quae solus DEVS patrare
potest.

Atqui *Angelus DOMINI ex medio rubi MOSEN vocauit*
per *Exod. III. 2.* Ergo

Angelus ille Domini est verus & essentialis DEVS.

Tandem: *Quicumque est Angelus Domini, qui Mo-*
sen ex medio rubi vocauit, ille est verus & essen-
tialis DEVS per Syllogismum praecedentem.

Atqui *CHRISTVS Filius Dei est Angelus Domini, qui*
MOSEN ex medio rubi vocauit per Act. VII. 35-38.
1. Cor. X. 4. 9. collat Esai. LXIII. 9. Exod. XIII. 21.
XIV. 19. XXIII. 20-23. XXXII. 34. Ergo

CHRISTVS, Filius DEI, est verus & essentialis
DEVS.

Haecenus de angelo mortis primogenitos in Ae-
gypto interficiente verba fecimus, controuersisque
de eo sententiis propositis veram, vt opinamur, ad-
iunximus. Serenissimus Dominus LVDOVICVS
Hassiae Landgravius, Pater patriae indulgentissimus,
Nutritor academiae Ludouicianae munificentissimus,
Excellentissimo, Amplissimo atque Doctissimo Do-
mino D. GEORG, LVDOVICO ALEFELD
pro-



professionem Medicinæ extraordinariam, & annexâ
 physicam experimentalem docendi facultate, clemen-
 tissime obrulit. Quam proxima die Iouis pridie No-
 narum Septembr. oratione inaugurali de *praecipuis*
controuersis inter Anatomicos saeculi huius XVIII. agi-
tatis ingressurus est. Vos itaque, Ciues academici,
 Commilitones suauissimi, aestumatissimi, vt frequen-
 tes loco his temporibus consueto conveniatis, & ora-
 tionem vestri noui doctoris inauguralem attenti au-
 diatis, precantes, vt omnia feliciter eueniant, per-
 amanter inuitamus & rogamus. Credatis, o nostri, ve-
 strum nouum doctorem quauis occasione vicissim ve-
 stris commodis lubentissime esse inseruiturum. Publi-
 catum ipsis Calendis Sept. A. R. S. MDCCLX.

Sub sigillo academiae maiori.



Fd 2087


ULB Halle 3
004 222 318



sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

16

PROGRAMMA
CONTROVERSAS CIRCA ANGELVM MORTIS
PRIMOGENITOS IN AEGYPTO OCCIDENTE
SENTENTIAS

SISTENS
IN QVO

RECTOR
PHILIPP. NICOL. WOLF

PROF. LL. OO. ORDINARIVS
ORATIONEM INAUGVRALEM,

EXCELLENTISSIMVS, AMPLISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
DOMINVS

D. GEORG. LVDOVIC. ALEFELD

DE
PRAECIPVIS CONTROVERSIIS INTER ANATOMICOS


SAECVLI HVIVS XVIII. AGITATIS
PROFESSIONEM MEDICINAE EXTRAORDINARIAM

IPSI CLEMENTISSIME OBLATAM INGRESSVRVS HABEBIT,
PROXIMA DIE IOVIS PRIDIE NONARVM SEPTEMBRIS
GENEROSIS, NOBILISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS
DOMINIS COMMILITONIBVS

INDICIT

ET
AD EAM DILIGENTER AVDIENDAM
HVMANISSIME INVITAT

CALENDIS SEPTEMBR. PVBLICATVM
SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.



GIESSAE, EX OFFICINA BRAVNIANA.